

ipsi, vel eorum Antecessores jam non elegerint.

« Quinto, Abbates, aliosque Prælatos inferiores nullius Diœcesis, habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, et populum, cum Territorio separato, teneri eligere Metropolitanum, ut supra.

« Sexto, Episcopos, Abbates, et Prælatos inferiores, qui debent, ut supra, eligere Metropolitanum, etsi non teneantur eligere viciniorum, debere tamen, juxta dictum Decretum Concilii Tridentini, vicinum eligere; quod est intelligendum de non nimis longe distante, habita ratione regionum.»

(45. Deinde *ibid.* num. 15, sic prosequitur: « Inter Episcopos, qui ut Metropolitanum sibi ad prædictum effectum eligerent, a Congregatione compulsi sunt, alter Patiensis fuit, Lucensis alter, sicuti legitur in Registris prædictæ Congregationis habitæ, ut dictum est, die 28 Maii 1725. Et hi quidem plura obtendere non omiserunt, ut Metropolitanum electionem declinarent, sed eorum contentiones, et studia in irritum cesserunt, rejectis eorum instantiis per eandem Congregationem habitam die 11 Februarii 1726. Cum vero felicis record. Benedictus PP. XIII, justis, gravibusque de causis Episcopatum Lucensem in Archiepiscopatum erexerit, nullo tamen ipsi adscripto Suffraganeo, ut patet ex ejus Constitutione incipient. *Inscrutabilis*, novo *Bullario* tom. 12. et cum Nos Papiensi Episcopatu unitum perpetuo voluerimus titulum Archiepiscopi Amasiæ in partibus Infidelium, sicuti videre est in nostra Constitutione, quæ incipit *Ad supremam*, in nostro *Bullario* tom. 1. num. 74. hinc uterque Præsul ab eligendi Metropolitanum lege immunis evasit, juxta primum superius inserti Decreti capit. Ad Episcopos vero quod spectat, qui Capuanam, et Pisanam Provinciam interjacent, multo ante fuerat pronunciatum, non adigi eos Metropolitanum eligere, sicut videri potest lib. 4. Decretorum Congregationis Conc. anni 1585. pag. 53. Sacr., etc., censuit, Decretum cap. 2. *de Reformat.* sess. 24. « non habere locum in Episcopis, qui sunt in Provincia Romana. » De Provincia Romana inter Capuanam, et Pisanam loquitur Innocentius III. in cap. *Sua nobis, de Officio Vicarii*. Nos de ipsa mentionem fecimus in superiori l. 2. cap. 2. n. 3. ubi etiam rationum momenta attulimus, ob quæ hujusmodi Provinciæ Episcopi ab eligendo Metropolitanum eximuntur. Itaque alteri huic relationis capiti finem imponentes, censuimus, facile ex dictis quemlibet Episcopum colligere posse, num ad eligendum Metropolitanum obstringatur, et quomodo de injuncti sibi oneris implemento docere debeat. » Hactenus laudatus Pontifex loc. cit.

(55. Episcopi suffraganei etsi decorentur pallio, in Bullis tamen ejus concessionis cavetur, ne quid præjudicii ex hoc inferatur eorum Metropolitanis, quin et vetantur illud ferre in præsentia Archiepiscopi. Bened. XIV. de *Synodo Diœces.* lib. 13. cap. 5, § 2. nov. edit.

(56. Pallii honore non decorantur latini Patriarchæ Titulares, quemadmodum nec Archiepiscopi in partibus; cum enim pallio nemo uti possit extra Provinciam suam, illi profecto alibi commorantur; *ibid.* § 17.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(57. De Regulari ad Episcopatum promoti magistralis, et numquam satis promerita est Decisio Sacræ Rotæ in Vilnen. Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum 3 Aprilis 1761. cor. R. P. D. Frangipani. In hac enim Decisione statuitur, quod ut primum Regularis ad Episcopatum promovetur, a jugo Regularis Observantiæ liberatur, liberamque acquirit facultatem donationem inter vivos faciendi ratione causæ piæ, et quidem etiam si Episcopus sit mere titularis, et agatur de Episcopo mere electo, modo electus sit a Summo Pontifice. Vide et alia ad materiam facientia in hac Decisione.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Duæ hic de Episcopo Titulari expendendæ sunt quæstiones. Prior est an Titularis Episcopus negligens consecrationem suscipere intra tempus a Concilio Tridentino sess. 23. c. 2. *de Reformat.* præfinitum, incurrat pœnas ab eodem Concilio inflictas, videlicet restitutionis omnium fructuum, si negligentia fuerit per tres menses a die Confirmationis; et privationis Episcopatus si negligentia fuerit per alios tres menses et sic per sex menses a Confirmatione.

(58. Negativa mihi arridet opinio. Ratio enim cur Concil. Tridentinum ita obligavit Episcopos, fuit, ut occurreret spirituali damno, quod necessario subditis afferre debebat dilata ab Episcopo in longum tempus suscepto consecrationis; Van. Espen. *Jur. Ecclesiastici univers.* part. 1. tit. 15. cap. 1, § 14. Hallier *de Sac. Ordination.* part. 3. section. 7. cap. 21, § 2. n. 16. (59. Hæc autem Concilii Tridentini ratio locum sibi vindicare nequit quantum ad Episcopos Titulares, utpote qui subditos habent habitu tantum, non item actu. (60. Non est igitur quod Episcopus Titularis negligens. Consecrationem teneri possit pœnis Concilii Tridentini, ut punctim firmat Hurtatus *Variar. resol.* num. 2. tract. ultim. resolut. 12, § 4. n. 720.

(61. Accedit quod juxta Concilium Tridentinum ut locum habeat pœna privationis Episcopatus, debet præcedere pœna restitutionis omnium fructuum. (62. At quomodo quantum ad Episcopos Titulares præcedere potest pœna hæc restitutionis omnium fructuum, si apprehendere ii nequeunt possessionem suarum Ecclesiarum, utpote ab Infidelibus occupatarum? Hinc igitur magis atque magis confirmatum remanet quod intelligere nequit Concilium Tridentinum *de Episcopis titularibus*, eo ipso quod circa ipsos servari nequit ordo ille pœnarum ab ipso Concilio Tridentino stabilitus, et religiosissime propterea servandus. Optime Rota in Vilnen. Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum 3 Aprilis 1761, § 14. cor. bon. mem. Frangipane.

Altera est an Canonicus qui simul sit Episcopus Titularis possit a Capitulo suæ Ecclesiæ Cathedralis eligi in Episcopum absque Brevi eligibilitatis? (63. Notum jam est quod Episcopus unius Ecclesiæ non possit in Episcopum alterius Ecclesiæ eligi, sed postulari debeat, cap. ultim. *de Postulat. Prælator.*, idque ex matrimonio spirituali, quod Episcopum inter ac Ecclesiam intercedit.

(64. Videtur autem posse eligi sine eligibilitatis Brevi eo quod regula de spirituali

EPISTOLÆ ECCLESIASTICÆ.

EX EDITIONE BARBELLINIANA.

SUMMARIIUM.

1. 2. Epistolæ, de quibus agendum, quænam sint? — 3. De illis scriptores. — 4. Litteræ autem, quas hoc articulo percensemus, sunt Apostolicæ. — 5. Canonicæ. — 6. Clericæ. — 7. Circulares. — 8. Commendatoriæ. — 9. Communicatoriæ. — 10. Con-

(1. Epistolæ nomen ad quævis instrumenta significanda sequiore ævo translatum est. *Hanc epistolam donationis* habet papyraceum instrumentum quinto sæculo Ravennæ scriptum. Quare decepti sunt, qui quod id nomen hac acceptione deinceps viderunt usitatissimum, a Gothis, Langobardis, et Francis illud ad nos derivasse existimarunt.

(2. Nos antiquo, et vere Latino more epistolæ hic sumimus, ab *ἐπιστολή* sic dictas; unde Latinis ævo ad barbariem inclinate *missivæ* appellatæ sunt, ut apud Casiodorum. Neque vero alias ab Ecclesiasticis, et Canonicis hic indicabimus.

(3. Ac de his quidem epistolis non pauca invenies apud Baronium Tomo II, plura apud Hermannum Hugonem in egregio libello *de prima scriben. origine* c. 13, ac Troztium, qui illum apud Batavos suis non tam auctum quam oneratum adnotationibus recudit. Sed ut Cabassutum, Pompeium Sarnellium in suis epistolis Ecclesiasticis epistola prima. Dodwellum *Dissertat. Cyprianicæ* pag. 17. Gonzalez in lib. 7. decret., tit. 22, cap. 3. Binghamum, aliosque, qui pro data occasione ad hoc argumenti genus excurrunt, omittam, fuere qui singularibus libris de hisce epistolis eruditissime egerunt, cum primis Gerardus Rodolphus Graviensis in opusculo *de literis Canonicis*, Coloniae 1572. Franciscus Bernardinus Ferrarius *de antiquo Ecclesiasticarum epistolarum genere*, Mediolani 1612. et curante Gebh. Theodoro Mejero iterum Helmstadii 1678. Philippus Priorius in dissertatione *de literis Canonicis cum appendice de Tractoriis et synodicis*, Parisiis 1675, et inter Protestantes Jo. Gaspar Thorspecken in diss. *de literis Canonicis*, Wittebergæ 1731. Hos ego auctores sequar in novo hoc quo Ferrarianam Bibliothecam augendam duxi, articulo, Neque tamen omnes Ecclesiasticas hujusmodi epistolæ percensebo (quod longioris esset commentarii, novæque quam paro, Hugoniani nuper indicati libelli editioni servare consultius reor), sed præcipuas, easque potissimum, quas in Canonibus, ac Decretalium libris memorari novimus. Utar autem in illis numerandis Alphabeti ordine.

matrimonio cessat quantum ad Episcopum Titularem, quippe qui vere et proprie Ecclesiam haud habet. (65. At contrarium, et quidem jure meritoque resolvit Christianus Thomasius in *Respons. Jur.* impress. post Programmata § 5, et plur. sequent., ea ductus ratione, quod Episcopum Titularem inter et Ecclesiam est spirituale matrimonium, adeoque carens ipse Brevi eligibilitatis nequeat ex matrimonio hoc spirituali eligi in Episcopum alterius Ecclesiæ.

cessoriæ. — 11. Confessoriae. — 12. Decretales. — 13. Diaconicæ. — 14. Dimissoriæ. — 15. Encyclicæ. — 16. Enthronisticæ. — 17. Festales. — 18. Formatae. — 19. Pacificæ. — 20. Paschales. — 21. Pastorales. — 22. Synodicæ. — 23. Systaticæ. — 24. Tractoriæ. — 25. Tractoriæ.

(4. Igitur *Apostolicæ* literæ sunt quævis epistolæ a Romano Pontifice Apostolica scriptæ auctoritate, sive Constitutiones sint, sive Brevia, rescripta, etc.

(5. *Canonicæ* eadem sunt, *communicatoriæ*, et *Formatae* de quibus mox.

(6. *Clericæ*, quarum occurrit mentio apud Cyprianum ep. 4. Pame. 1. edit. Illas Hugo intelligit, quæ a Clero scribi solent sede vacante, sed revera a Clerico, qui ad eas defendendas ab Episcopo, vel Clero mittebatur, sic sunt appellatæ: quæ de re fusius paulo post, ubi de diaconicis sermo erit.

(7. *Circulares*. V. *Encyclicæ*.

(8. *Commendatoriæ* epistolæ erant, quæ illustrioris conditionis hominibus, aut illis etiam, quorum existimatio fuerat in quæstionem vocata; Clericis quoque, ac Monachis, quibus esset in exteris regiones proficiscendum dabantur. Suscipientes autem ex illarum lectione dignoscebant, quemadmodum cum peregrinis agendum foret, quaque communione donandi. Quod de Monachis diximus confirmat S. Hieronymus ep. 147. al. 48. *ad Sabinianum* his verbis: « quis non susciperet eum, qui se Monachum promittebat, præsertim ignorans tragœdias tuas, et Episcopi tui Commendatitias *ad ceteros sacerdotes epistolæ legens?* » Quod vero de illustrioribus viris asseruimus, ex Chalcedonensi Canone XI. sumpsimus; qui hujusmodi est: « Omnes pauperes, et indigentes Ecclesiasticis auxiliis eum proficiscuntur, sub probatione epistolæ, sive pacificæ, quæ dicuntur Ecclesiasticæ, tantummodo commendari statuimus, » et « Non Commendatitiis epistolis: quia commendatitias epistolæ quas dicimus, eos tantum accipere convenit, qui in opere sunt clariores. »

(9. *Communicatoriæ* erant, quæ omnibus, qui in communione Ecclesiæ erant, cum eaque pacem colebant, concedebantur. V. *Formatae*.

(10. *Concessoriæ*. V. *Dimissoriæ*.

(11. *Confessoriae*. Hugo *captivorum literas* memorat, « quæ, inquit, nominantur in Concilio Lugdunensi secundo cap. 2. et ab Episcopis dabantur pro lapsis. » Addit continenter: « Fit earum mentio in Concilia

Eliberitano, et Arelatensi primo. » Verum a Lugdunensi illo Concilio, quod tertium est in Sirmondi collectione, vix ego crediderim designari literas, quæ ab Episcopis darentur pro lapsis. Quamquam cum locus ille Lugdunensis Concilii mendosus sit, neque Mss. Codicum inopia facile emendandus, nihil definire ausim. In Eliberitano tamen, et Arelatensi primo nusquam reperio *captivorum literas*, sed solum *Confessorum*, seu *Confessorias* literas, quas Cyprianus *libellos* sæpe appellat. Literæ autem erant, quibus Martyres, et Confessores lapsis petebant ab Episcopis dari pacem. Legenda hanc in rem est epistola decima ejusdem S. Cypriani *Vales. edit.* ubi et formulam refert, qua quidam in ejusmodi literis Martyres utebantur: « communicet ille cum suis, *eamque reprehendit*; late enim patet, quando dicitur ille cum suis, et possunt nobis viceni, et triceni, et amplius offerri, qui propinqui, et affines, et liberti, ac domestici esse assererentur ejus, qui accipit libellum. » An ea autem formula: *communicet ille cum suis*, Martyres significarent, se lapsos absolvisse, quæstio est inter eruditos viros. Affirmat Ill. Albaspinæus in suis *Observationibus*. Eam tamen formulam deprecatoriam tantum fuisse, atque ad exprimenda Martyrum vota conceptam, satis indicat Cyprianus his verbis: « Sed et illud ad diligentiam vestram redicere, et emendare debetis, ut nominatim designetis eos, quibus pacem dari desideratis; audio enim, quibusdam sic libellos fieri, ut dicatur: *communicet ille eum suis*. Quod numquam omnino a Martyribus factum est, ut incerta et cæca *Petitio* invidiam nobis postmodum cumulet. *Quid?* quod de his qui Confessorum literas afferunt, placuit, ut sublatis eis literis alias accipiant communicatorias, » ut Eliberitanum Concilium statuit, itemque Arelatense 1. *can.* 9. Quid vero *communicatoriis* literis opus iis, qui communioni restituti fuissent?

(12. *Decretales* literæ sunt, quibus Romani Pontifices ad interrogata respondebant, quæque vitanda, sequendave essent, decernebant. *Decretalia constituta* dicuntur a S. Siricio epist. 1. ad Himer. et a S. Cœlestino 1. ep. 3. ad Episcopos per Apuliam, et Calabriam constitutos.

(13. *Diaconicæ*, earum mentio apud Georgium Syncellum p. 375. et apud Eusebium l. 6. cap. 46. *Vales. edit.* quod 38. est in veteribus Christophorsoni, 34. in interpretatione Rufini. Recenset nempe Eusebius epistolas Dionysii, atque inter eas *Diaconicam* memorat, quam Rufinus *de ministeriis*, Christophorsonus *de ministeriis Ecclesiæ*, de *Officio diaconi* explicat *Valesius*. At Jacobus Goar. qui Georgium Syncellum edidit, illustravitque, genus quoddam Epistolarum Ecclesiasticarum ibi significari putavit, quod *Διακονικὴ* diceretur, sicut fuere synodica, pacifica, dimissoria et similes. Goario adsentitur Bencinius dissert. 1. pag. 28. et *Diaconicam* intelligit diploma quoddam, quo universis innotesceret, illud proferentem Hippolytum Diaconum (per hunc enim a Diony-

sio Romam missa est epistola illa) cursorem Dominicum esse, cujus erat Encyclicas epistolas quaquaversum deferre. Qua in re si quid sentio, aperiendum mihi est, deceptos Rufinum, Christophorsonum, et *Valesium*, ac longe gravissime hallucinatum fuisse Bencinium adfirmabo. Certe ut a primis illis ordiar, quis unquam sibi persuadeat, Dionysium « ad Fratres Romæ constitutos per Hippolytum » misisse epistolam *de officio diaconi*? quasi vero Fratres Romæ constituti ab Alexandrino Episcopo *officium diaconi* docendi essent. Quod si id eo sensu intelligas, quod de ministeriis Diaconorum apud suam Ecclesiam Dionysium Romam scripserit, tum haud ægre ita sentienti subscribam. Ad Bencinium quod adinet, mirum est eum non hæc somnia tantum excogitasse, sed etiam eruditus viris successisse, qui ante ipsum adeo desipere nunquam visi sunt. Porro ut *Diaconicæ* epistolæ Benciniano sensu acceptæ commentum luce clarius ostendam, duo Bencinio libens concedo. Primum illud est, a Principibus diploma cursoribus suis datum esse; alterum est, Diaconos sæpissime literas ad Episcopos aliosque fideles detulisse. Nego tamen aut Diaconis illis peculiare literas aut diploma ab Episcopis datum fuisse, aut etsi datum esset, *diaconicum* appellandum. Nam legimus quidem Pothinum, et Lugdunensem Ecclesiam, dum Romam Irenæum mitteret, Eleuthero Pontifici scripsisse apud Euseb. l. v. c. 4. sub finem epistolæ: « Has literas, ut ad te perferret, fratrem et collegam nostrum Irenæum hortati sumus. Quem quidem, ut commendatum habeas, rogamus: » legimus Basilium ep. 111. vet. edit. ad Athanasium scripsisse: « Hac de causa et Fratrem nostrum Dorotheum... Diaconum... ad pietatem tuam remisit. » Legimus, ut Leonis, et cætera id genus exempla præteream, Constantium in tertia ex tribus, quas ad Athanasium dedit, evocatoriis literis scripsisse: « Ad pleniorum autem notitiam, Achetam Diaconum misimus; ex quo discere poteris, et quodnam sit mentis nostræ propositum, etc. » At quis hinc inferat, Cursoribus Dominicis peculiare diploma datum fuisse Tractoriæ cursoribus a Principibus concessæ simile? Bencinius tamen infert dissert. 2. pag. 167. et dissert. 1. pag. 38. et 101. O præclaram consecutionem. Si cui igitur scripsero: « Literas hæc ad te perferendas dedi. Petro mercatori, aut viro patricio, aut Religioso; » Bencinius aliquis comminiscetur *mercatoriam*, *patriciam*, aut *Religiosam epistolam*, quæ diploma fuerit peculiare. Sed rem acrius urgeamus. Negari nequit, Presbyteros quoque, aliosque de clero, ac præsertim subdiaconos, sæpe Dominicos cursores, seu Ecclesiasticarum literarum latores fuisse. Age, aliquot ex ipsius Bencinii dissertatione proferemus exempla. Singedunensis Concilii Patres in epistola ad Gerninium, quæ inter Hilarii fragmenta legitur, aiunt: « Hæc per Secundianum Presbyterum, Pullentium Lectorem, et Candidianum Exorcistam transmisimus caritati tuæ. » Siri-

cus quoque in epistola ad diversos Episcopos, seu ex Vallicellano codice universis Episcopis super Joviniani damnatione, « hæc, inquit, scripta direxi per Fratres, et presbyteros meos Crescentem, Leopardum, et Alexandrum, qui religiosum officium fidei possint spiritu adimplere ferventes. » Jamvero confer isthæc cum iis, quæ in literis per Diaconos missis legimus. Quid tum? aut Presbyteralem quoque, Hypodionicam, Lectoralem, Exorcisticam epistolam in medium afferre debebimus, aut *Diaconicam* Bencinii fabulis ad censere. Sed fingamus paulisper, Cursoribus Dominicis diploma Benciniano datum; quis prudens illud *Diaconicum* dixerit, quum alios a Diaconis cursores istiusmodi quam sæpissime inveniamus? Profecto diplomati illi nomen confingendum fuerat, quod omnibus commune cursoribus foret; puta Tractoriæ Bencinii argumenta plura occupavimus. Duo supersunt examinanda; tum ad *Diaconicam* Eusebii redibimus. Itaque in gestis Proconsularibus, quibus a Donatarum calumniis vindicatus est Felix Aptungitanus Episcopus, legimus Apronianum Felicis defensorum dixisse. « Paulino heic administrante vice Praefectorum subornatus est quidam privatus homo, qui modum cursoris haberet. » Audin? inquit Bencinius pag. 35. Ingentius scriba (is enim est, quem Apronianus hic sugillat) « modum cursoris habuit, » utique a Donatistis, ut a se corruptas Felicis literas huc illuc ad Africanas Ecclesias deferret. Quis hic *modus*? nisi forma e *diaconica* epistola exscripta. Ita scilicet error in errorem incautos trahit. Fierine potuisset, ut *diaconicam* Donatistæ dedissent Ingentio non Diacono, sed Decurioni Ziquensium civitatis, ut in rescripto Constantini legimus apud Augustinum 1. 3. contra Cresconium cap. 70. et in ipsis gestis Proconsularibus purgationis Felicis? An non statim Donatarum fraus innotuisset, si *Diaconicam*, diploma nempe Diaconi cursoris, decurioni dedissent? Quid plura? « modum cursoris habuit, » explico, « qui cursor mitteretur. » At quam lepidum illud, quod ex Leonis M. epistola 107. ad Ravennium urget Bencinius diss. pag. 126. Monet in ea Leo Ravennium, « Petronianum quemdam vagum et erroneum per Gallias se suum esse diaconum jactasse, et sub honoris obtentu diversas ejus Provinciae Ecclesias circuire falsa subreptione. » Ubi heic *diaconica*? Vidit tamen Bencinius, fictamque *diaconicam* in verbis illis falsa subreptione reperit. Nimirum aut fictis dimissoriis, aut alia quamvis ratione Petronianum se Leonis diaconum jactare non poterat: *diaconicam* fingere debuit. *Risum tenentis amici*. Sed ad Eusebii *diaconicam* revertamur, cujus gratia hæc disputavimus. Aio itaque, etsi Bencinio daremus, *diaconicam* illam suam in usu fuisse, aliud omnino Eusebium intellexisse. Apud Cangium, et Goarium legimus a Græcis preces quasdam, quas *Irenicas*, seu *pacificas* dicunt, *diaconicas* etiam adpellari, quod a diacono recitarentur. Quidni Eusebius quoque *Ire-*

nicam, seu *pacificam* epistolam intellexerit, quam *diaconicam* dixerit, quod *diaconicis* cæteroqui Benciniano diplomate haud quamquam munitus illam pertulisset? Id fortassis suspicari quis posset. Rectius tamen *diaconicam* Eusebii epistolam interpretabimur a diacono allatam, quemadmodum S. Cyprianus *clericas* epistolas vocabat, ut supra accepimus, literas per Hypodiaconum missas. Neque tamen ad Benciniano diploma confugiemus, nisi et Hypodiaconos atque adeo clericos universos epistolarum latores inepte velimus, simili aliquo diplomate munitos fuisse. Immo cum Cyprianum generatim *clericas*, non *hypodiaconicas* appellasse literas ab Hypodiacono delatas videamus, pronum est conjicere, literas quoque ab Hippolyto ad Dionysium allatas *clericas* dici potuisse, sed *diaconicas* maluisse Eusebium illas nuncupare, ut cujus in clero gradus fuerit Hippolytus earum lator, aperte designaret.

(14. *Dimissoria* literæ erant, quæ ab Episcopo dari Clericis solebant, ut de sua ipsius diocesi in aliam commigrare, illiusque catalogo connumerari possent. Concilium Carthaginense 1. cap. 5, eas tantum *litteras Episcopi* appellat; sed concilium Trullanum cap. 17, diserte eas nuncupat *ἀπολυτικὰς*, scilicet *dimissorias*; nec sine illis, quas tamen dare nulla lege tenebantur Episcopi, ut vere animadvertit Binghamus tom. 2, lib. 6, cap. 4, § 4, fas ulli Clerico erat ex propria, cui adscriptus fuerat, Ecclesia abire. Sed a multis jam sæculis duplici potissimum de causa dimissoria Clericis conceduntur. Primo ut licite ab alieno Episcopo ordinari possint; de quo vide cap. *significatis de Officio Archidiaconi*. et Formatas, quas Ballerini afferunt tom. 3, *Oper. S. Leon.* pag. 111, seq.; secundo ut Clerici peregrini jam a propriis Episcopis ordinati celebrare in alienis Diocesisibus valeant. Confer. Gonzalez ad lib. 1, decret. tit. 22, *de Cleric. peregr.* cap. 3, num. 7.

(15. *Encyclicæ*. De Encyclicis hisce literis, quem antea nominavi, Franciscus Dominicus Bencinius duplicem Augustæ Taurinorum edidit dissertationem, alteram quidem anno 1728, alteram anno 1730, aliis quinque, quas super eadem re in proœmio primæ dissertationis promiserat, literariam Republicam, si superstes diutius fuisset, fatigaturus. Dictæ autem *encyclivæ* sunt a Græce *ἐν*, et *κυκλῶ*, quod est *in orbe*, seu *circulo*, cum ad plurimos veluti per orbem dirigerentur. Eas in Politicis a Principibus, et Magistratibus usitata Ecclesia ad subnascentes convellendos errores potissimum adhibuit, licet et aliis de causis usa iis fuerit, ut ad Martyrum gesta enarranda, ejusmodi fuit epistola illa Smyrnenis Ecclesiæ de S. Polycarpi Martyrio; aut ad disciplinæ controversias definiendas, quales eæ fuere literæ, quas in causa lapsorum scripsit Cyprianus. Illas quandoque *Tractatus* appellatas invenias: quo sensu Auctor *Prædestinati* a Sirmondo editus lib. 1. hæc. 89. ait: « Consuetudo est namque, ut unum *Tracta-*

tum suum Episcopus Alexandrinus mittat Constantinopolim, qui recitatur in Pascha. » Neque id nominis immerito illis tributum. Nam sæpe in illis congesta fuisse novimus Scripturarum, sanctorumque Patrum testimonia ad fidei dogmata stabilienda, ut in duabus magni Leonis adversus Eutychianos errores dogmaticis literis videre est. Quin etiam alia illis opuscula jungebantur: sic Cyrillus Alexandrinus literis suis pacificis epistola adjecit B. Athanasii ad Epictetum, et longe ante Cyrillum Cyprianus suis contra Novatianum Encyclicis aureum de Unitate libellum addidit. Dictas quoque *Catholicas* monet Hermannus Hugo; quo nimirum intellectum una, et altera B. Petri, tres Joannis, Jacobi una, una item Judæ epistola *Catholicæ* nuncupantur. De his porro audiendum Oecumenius in *Comm. ad epistol. Jacobi. Catholicæ*, inquit, « dicuntur illæ epistolæ, quasi encyclicæ; non enim separatim gentem unam, aut civitatem, quemadmodum D. Paulus Romanos, aut Corinthios, his epistolis alloquitur discipulorum Domini chorus, nimirum Petrus, Joannes, et Judas; sed in universum fideles omnes. » In tomos autem redigebantur Encyclicæ. Quamobrem cum apud Ecclesiasticos scriptores *tomum encyclicum* inveneris, volumen intellige, in quo plurium Episcoporum, Patrumque encyclicæ epistolæ collectæ erant. Bencinius diss. 1. p. 7. *declarativas, denunciativas, indicativas* encyclicas memorat; sed hæc nomina in Ecclesiasticorum scriptorum monumentis minime invenio. Illud unum verum est, encyclicas literas juxta argumenti diversitatem varia sortiri posse vocabula, et *denunciativas* dici, dum hæreticorum, vel excommunicatorum nomina, aut etiam illorum errores ad fideles in illis deferebantur; ut de iis vitandis admonerentur: *declarativas*, dum errores refutabant, damnabantque, *indicativas*, dum Martyrum nomina, et gesta describebant. Hæretici ipsi suas Encyclicas habebant ab Episcopis, aliisque suorum errorum sectatoribus subscriptas, quas *antencyclicas* dixeris. Exemplo sunt encyclicæ literæ, quas Timothei Aeluri Eutychiani hominis suasu dedit Basiliscus Imperator adversus Chalcedonense Concilium: qua de re vide Theodorum lectorem, et Evagrium lib. 3. cap. 4.

(16. *Enthronistica* literæ dicebantur, quas Episcopi simul atque consecrati erant, ad extraneos Episcopos mittebant suæ ipsorum fidei atque orthodoxiæ testes, ut ab illis vicissim pacificas, et communicatorias epistolas acciperent. Hinc Antiocheni Concilii Patres, cum dejecto ab Antiochena sede hæretico Paulo Samosateno Domnum in ejus locum ordinassent, omnes Ecclesias hac de re encyclicis literis certiores fecerunt; idque se illis significare edixerunt, ut et ad Domnum scriberent, et ab eo communicatorias literas acciperent, quemadmodum narrat Eusebius lib. 3. cap. 39. vide infra *synodica*. Confer etiam Garnerium ad librum diurnum Romanorum Pontificum, et Binghamum tom. 1. l. 71. cap. 11. § 10.

(17. *Festales* literæ ex eo dictæ, quæ illis Episcopi olim solemnissimis Nativitatis, et Resurrectionis dominicæ diebus consalutare se invicem, et quam prospere festivitatem illam celebrassent, nunciare solebant. Ejusmodi est epistola in Alcimi Aviti, in quam vide eruditissimam Sirmondi annotationem tom. 2. oper. edita Paris. col. 101.

(18. *Formatæ* epistolæ erant, quas nonnisi Primates, ac Metropolitanæ Episcopis sibi obnoxii, Episcopi Clericis suis alio peregrinaturis largiebantur. *Formatarum* autem duo genera Sirmondus distinguit ad Sidonii lib. 6. ep. 8. Nam clericis aut in aliam diocesim transibant, ut in ea manerent, et dimissoriæ dabantur, ut supra diximus; ejusque generis sunt *formatæ* omnes, quæ apud Burchardum, Reginonem, Ivonem, et Gratianum leguntur; quibus adde *Formatam* Papiensis Episcopi a Balleriniis ex Vaticano codice vulgatam tom. 3. *Oper. S. Leon. M.* p. 262. quamquam et ubi sacræ ordinationis causa Clerici a suis Episcopis ad alios mitti cœpere, dimissoriæ, quæ illis concedebantur, nonnisi ex *Formatarum* literarum regula tradebantur. Aut non ut penitus migrarent, sed ad tempus, privati seu publici negotii causa; atque his *commendatiis* dabantur, quas Græci promiscue nunc *systaticas*, nunc *Irenicas*, id est *pacificas* vocant; Etsi enim *pacificas* a *commendatiis* aliquando distinctas docet Canon 11 Concilii Chalcedonensis, constat tamen neglectum ab aliis discrimen id fuisse. Latini utrumque genus *Formatarum* nomine complexi sunt, ita ut *Formatæ* literæ universim respondeant Canonici (quo etiam nomine appellantur in Synodo Meldensi *can. 50.* et ab Hinemaro in formata ad Aneam Episcopum Parisiensem,) dividanturque in dimissorias, et *commendatiis*, quemadmodum apud Græcos in ἀπολυτικὰς, et συστατικὰς: quamquam dimissorias, quia sine commendatione aliqua, pacisque symbolo non fiebant, *commendatiis* quoque interdum, et *pacificas* appellabant; at non contra *dimissorias*, quæ *commendatiis* tantum essent. Binghamus tom. 1. lib. 2. cap. 4. § 5. tertium genus addit *formatarum*, nempe literas *communicatorias*, de quibus opusculum edidit Lipsiæ 1744. Jo. Rudolphus Kieslingius inscriptum *de stabili primitivæ Ecclesiæ ope literarum communicatoriarum connubio*.

Ne qua fraus hæreticorum intercederet, *Formatarum* scribendarum formula certa concepta est a Synodo Nicæna, eaque ab Attico Constantinopolitano Episcopo in Africam missa, unde postea ad alias Occidentis Ecclesias exempla derivarunt. *Regulam Formatarum* vocat Codex Canonum a Quesnelo editus, recusus postea, atque illustratus a Balleriniis tom. 3. *Oper. S. Leon.* pag. 431, ejusque passim exempla suppetunt apud Gratianum, Ivonem, Burchardum, aliosque Canonum collectores, ut ibidem monent, confirmantque Balleriniis. Sed fatendum est cum Sirmondo, corrupta fere antiquiorum vitio, ac mutila esse exempla, quæ proferunt. Unum, quod Gra-

tianus exhibet, idem Sirmondus accurate restituit. Confer Hermannum Hugonem de *prima scribendi Origine* cap. 13. Bencinius diss. 1, pag. 307, putat, ab ipso Christianæ Religionis exordio in Pacificis potissimum, et communicatoriis literis adscriptum fuisse Christi monogramma: sed egregie fallitur. Nam præterquam quod non pauci sunt viri docti, qui Christi monogramma nonnisi Constantiniano ævo obtinuisse contendunt, in forma harum epistolarum, quam a Nicæna Synodo conceptam diximus, ne verbum quidem de hujusmodi monogrammate occurrit.

Sunt porro, ut id quoque non præteream, qui *Formatarum* nomen a certa illa, qua ex præscripto Nicæni Concilii texebantur, formula effectum velint. Sirmondus tamen maluit, *Formatam* a sigilli forma dictam, qua muniebatur. Sic enim veteres Glossæ Vaticanæ, *Formatam epistolam, sigillatam* interpretantur.

(19. *Pontificiæ* sunt, quas Græci promiscue nunc *systaticas* nominant, seu ut Ingulphi in *Historia* utar verbo, *viaticas*, nunc *Irenicas*, seu *pacificas*. Hæc a *commendatiis* distinctas præter Canonem 40. Chalcedonensis Concilii, de quo nuper dicebamus, multo magis docet Canon. 81. Eliberitanæ Synodi, in quo *pacificas* appellari literas solius benevolentiae testandæ causæ exaratas, scite notarunt Raynaudus de *sobria Frequentatione mulierum* cap. 7, pag. 273, et Norisius Lect. 4, de *Tractoriis* tom. 4, oper. col. 628. S. Athanasius in *Epist. ad Solitarios*, *Pacificas* literas pro *communicatoriis* usurpat; nisi malis eas ibi accipere lætitiæ de restituto Athanasio, amorisque testes, quam communionis.

(20. *Paschales* epistolæ erant, quæ tempus celebrandi Paschatis nunciabant. Id negotii datum a Nicænis Patribus Episcopo Alexandrino, quemadmodum Sanct. Cyrillus Alexandrinus in *Prologo Paschali*, et S. Leo M. *epist. 121, ad Marcianum Augustum* docent.

EREMITA.

SUMMARIUM.

1. Eremita denominatur ab Eremo, quem colit, ut Deo commodius serviat. — 2. Eremita est nomen Græcum, quod latine idem significat *Desertum*, seu *locus solitarius*. — 3. Eremita juxta nomenclaturam est Eremita cultor, seu Eremita. — 4. Eremitarum secundum D. Hieronymum tria sunt genera, id est, alii sunt Cœnobitæ, alii Anachoritæ, et alii Romothitæ. — 5. S. Benedictus quatuor enumerat genera Eremitarum, scilicet Cœnobitas, Anachoritas, Sarabaitas, et Gyrovagos. — 6. S. Augustinus dicit, quod Eremitarum genus dividitur in Anachoritas, et Cœnobitas, et non alias species. — 7. Fagnanus quatuor distinguit species Eremitarum. — 8. Primi sunt Eremitæ, qui emittunt tria vota substantialia in aliqua ex Religionibus approbata. — 9. Secundi sunt Eremitæ viventes in Congreg. et habentes modum vivendi ab Episcopo approbatum, et late licet non sint Religiosi, sunt tamen personæ Ecclesiasticæ. — 10. Tertii sunt Eremitæ, qui quamvis non sint professi alicujus Religionis, nec vivant in communi, tamen de facultate Episcopi induunt Habitum Eremiticum, et ab ipso sunt Deputati servitio alicujus Ecclesiæ, vel Oratorii, seu Eremitorii, et sub illius

Metropolitanorum tamen erat Episcopus sibi obnoxios ea de re per literas monere. Vide S. Ambrosium ep. 83, ad Episcopos per Æmiliam, Concilium Carthaginense III, capit. 1, et 41, et concilium Toletanum IV, cap. 5. Multa de hisce epistolis colligit Cl. P. Ægidius Bucherius in insigni opere de *Doctrina temporum*. Amstelodami vero ab anno 1733 ad 1736, prodire quinque tomos in-4° comprehensæ *Observationes* sane utilissimæ in *veterum Patrum, et Pontificum prologos, et epistolas Paschales, aliosque antiquos de ratione Paschali Scriptores*.

(21. *Pastorales*, quæ pro instructione ad Ecclesias mittebantur; quales Paulinæ aliquot, et Ignatianæ. Hoc nomen servant etiam nunc Episcoporum instructiones, edicta, mandata, etc.

(22. *Synodica*, quæ ad Synodos scribebantur, vel ab ipsis Synodis mittebantur.

(23. *Systatica*. Vide supra numer. 19. Monacho tamen, in Jure systaticas literas accipi pro literis comæatus. Novell. Justinian. 6. capit. 3. « Non autem aliter aliquem præsumere dirigere se ad hanc civitatem statui-mus, priusquam literas acceperit, quæ secundum divinas regulas συστατικὰ καλοῦμενα, testimonium perhibentia necessitatis, etc. »

(24. *Tractoriæ*, quibus Episcopi certiores alios faciebant rerum gestarum. S. Augustinus *Concione II. in psalm. xxxvi.*

(25. *Tractoriæ* interdum eadem erant, quæ olim *commendatoriæ*. Iis evocabantur Episcopi ad Concilium cum auctoritate utendi cursu, et stivis publicis, inquit Baronius Tom. 3 ex Epistola Constantini ad Ablavium. Interdum vero, ut optime observat Gothofredus ad lib. 8. c. 6. *Codic. Theodos.*, erant *denunciatoriæ*, pro publica scilicet denuncia-tione, hunc vel illum esse excommunicatum, aut damnatum, et hinc ab ejus communione abstinendum. Celeberrima hæc inter epistolas *Tractoriæ* est S. Zosimi Pontificis adversus Pelagianos, de qua Marius Mercator. Vide Norisium cit. Lect. 4. de *Tractoriis*.

EREMITA.

obedientia vivunt. — 11. Quarti sunt Eremitæ, qui non sunt deputati Ecclesiæ servitio auctoritate alicujus Prælati Ecclesiastici, sed voluntarie suscipiunt, et ad sui libitum deferunt Habitum Eremiticum. — 12. Eremitæ primi, et secundi generis gaudent privilegio Fori, et privilegio Canonis. — 13. Eremitæ tertii generis etiam gaudent privilegio Fori, et Canonis. — 14. Non desunt tamen, qui tenent contrarium, et maxime de privilegio Canonis. — 15. Eremitæ quarti generis non gaudent nec privilegio Fori, nec Canonis. — 16. Deputatio Eremitæ pro custodia Ecclesiæ potest pertinere ad Laicos, sed approbatio semper spectat ad Episcopum. — 17. Pro istis Eremitis variæ emanarunt Ordinationes, quæ hic ad litteram subnectuntur. — 18. Affertur edictum, quo prohibetur Eremitis delatio habitus cujuscumque Religionis. — 19. Affertur Regula observandæ ab Eremitis. — 20. Affertur Constitutio Benedicti XIII confirmativa, ampliativa, et roborativa alterius Constitutionis Urbani VIII, ubi præcipitur quibuscumque Ordinariis, et Sedis Apostolicæ Nunciis, ne quemquam Eremitam Habitum Fratrum Tertiariarum Ordinis Minorum de Observantia, vel simplicem Tunicam oblongam, cum, vel sine Mantello absque Superiorum prædictæ Religionis Mine-